

8.43.6

*Idem A. Alexandro.*

Si inter patrem tuum eosque, quos debitores esse dicebas, non de dubia lite transactio facta est, sed parte tantummodo recuperata universum se recepisse cavit nec de superfluo eos qui verbis obligati erant, per acceptilationem liberavit, nec donationis causa id factum est: exuberantis debiti integra ei repetitio competit.

*PP. III id. Febr. Gordiano A. et Aviola cons.*

[a. 239]

8.43.7

*Imp. Philippus A. et Philippus C. Antiocho.*

Eius quantitatis, cuius petitionem ratio compensationis excludit, usuram non posse reposci manifestum est.

*PP. VI k. Aug. Peregrino et Aemiliano cons.*

[a. 244]

8.43.8

*Idem A. et C. Rufo.*

Usuras, quae quotannis in urbe numerandae sunt, promittere alio loco dependi, nisi ex iusta causa, exempli ratio minime sinit.

*PP. V id. Mai. Philippo A. et Titiano cons.*

[a. 245]

8.43.9

*Impp. Diocletianus et Maximianus AA. Cassio.*

Obsignatione totius debitae pecuniae sollemniter facta, liberationem contingere manifestum est. Sed ita demum oblatio debiti liberationem parit, si eo loco, quo debetur, solutio fuerit celebrata.

*PP. V id. Mai. Maximo II et Aquilino cons.*

[a. 286]

8.43.10

*Idem AA. et CC. Ambrosio.*

Successores eius, qui maior quinque et viginti annis in solutum pro debito iure mancipia dedit, haec revocare non posse constat.

*S. V id. April. Byzantii AA. cons.*

[a. 293]